

Lausannam venit, tum vna cum Clarissimo viro Domino ALBERTO ROSCIO apud Lausannenses Doctore Medico longè celeberrimo, in consilium adhibitus gurgulionem tantæ magnitudinis deprehendimus, ut totum palatum adimpleret, anteriorēsque dentes fermè attingeret. Et quia tumor iste inueteratus, prædur<sup>o</sup>, liuidus, inæqualis, & vtcunq; dolorificus, palato item adhærescens, venis quinetiam liuidis & sanguine melancholico plenis vndiquaq; cinctus erat, curatione in verā aggredi neutquam ausi fuimus, quin potius Deo & Naturæ, totum negotium relinquendum esse, quam in morbo desperato, nobis nomen imperitorū medicorū comparare, arbitrati sumus. Ut tamen precib. cùm ipsius, tūm aliorū suorum amicorū aliquo modo satisfaceremus, optimam victus rationē ei præscripsimus. Deinde corpus per dies aliquot à prauis & adustis humorib. euacuauimus. Quo facto, domū cum remisimus. Paulò post, cùm Empirico se se commisisset, è vita decessit.

Anno 1608. mense Februar. vna cum Doctissimis viris D. Mich. Doringio Medicinæ Doctore, & D. Emanuele Vrstisio, Artium liberal. Magistro, cōuictorib. meis longè suauissimis, Paterniaci virum pium ac doctum vidimus, cui ante aliquot annos vñula à catharro ex vna parte exesa, ex altera vero in maximam longitudinem, sicuti sequens figura denotat, relaxata fuerat.